

quam, fide si esset recepta, ipsum Sacramentum (in quo idem verbum, sed complexe iterum spectandum venit) confirmare demum & obfirmare debebat. At cessante priore, cessavit & posterius actu secundo, Brevibus: Statuimus Jesum Christum administrasse hoc suum Sacramentum Judæ Ischariothæ, non primario ut fieret ἀναπολόγητος, nec ut suos doceret Ministros, posse ab ipsis & notorie impiis, sine Conscientiæ jaçtura, S. Cœnam administrari, sed ut per verbum & hoc Sacramentum eum converteret, renovaret & Remissionem Peccatorum converso confirmaret. Cui prævisio contumaciæ æque minus obstat, ac hodiernum, ubi Gratia media exhibentur etiam illis, quos DEUS suæ Gratia malitiose restituros, prævidit. Ita ergo hoc quoque dubium nihil efficit. Quin potius firmum hoc & stabile permanet, pro separatistica ista, id est, extra necessitatis casum solitarie, vel certe cum quorundam exclusione, & semotione privatim accepta, quid? etiam administrata, nihil tuti solidive juxta loci nostri Paulini auctoritatem afferri posse.

§. 13. Ut nunc in compendio, quæ hætenus disputata sunt, sistamus. Vidimus, quantum Crimen Corinthiorum privatus S. Cœnæ usus incurrerit, & quod modernus ei, ut ovo ovum, sit similis. Competit enim modernæ definitio communionis Corinthiæ, cum quoad conceptum Communem, qui est factio, tum proprium, qui est anticipatio S. Cœnæ temeraria &c. Dantur hic eadem Causæ, Efficiens, Honoratiores, opulenciores: Materialis sive δειπνον κυριακόν Formalis: nempe anticipatio S. Cœnæ: & Finalis, prævalescentia, pauperum posthabitiõ &c. A quo Crimine modernam privatam Communionem nullatenus, uti expendimus, absolvunt, Agapæ Epulum Xenodochiale, Communis Cœna, quasi contra hæc, non ipsam S. Cœnam Corinthi delictum sit. Quomodo nec prætensa major devotio, aut potestas Magistratus dispensatoria, aut Muneris ac familiæ dignitas, communionem talem privatam statuminare, aut a separatismo liberare, hætenus uti probatum est, juxta supremam DEI Verbiq; contra auctoritatem possunt. Verum,

Sit finis verbis: Laus sine fine DEO.

Col. Diss. A. 173, unse 6